



PILLUART  
THEOLOGICAL

BX1749  
.T7  
B5  
1798  
v.1  
c.1



1080045758



6#46491

276

T.

SUMMA S. THOMÆ  
 HODIERNIS ACADEMIARUM MORIBUS ACCOMMODATA,  
 SIVE  
 CURSUS THEOLOGIÆ

Juxtà mentem, & in quantum licuit, juxta ordinem & litteram  
 D. THOMÆ in sua Summa, insertis pro re nata Digressionibus  
 in Historiam Ecclesiasticam,

AD USUM SCHOLARUM THOMISTICARUM.

PARS PRIMA.  
 DE DEO UNO, TRINO, ET ANGELIS,

*A quest. 1. ad 144.*

DE OPERE SEX DIERUM,

*A q. 44. ad 48. & à q. 67. ad 103.*

PRÆLECTIONES HONORATI TOURNELY  
 præsertim de Scientia & Voluntate Dei, necnon  
 de Prædestinatione, impugnantur.

SECUNDÆ PARTIS PARS PRIMA.  
 DE ULTIMO FINE, ET ACTIBUS HUMANIS,

*A quest. 1. ad 21.*

DE PECCATIS, ET LEGIBUS,

*A quest. 71. ad 90. & à quest. 90. ad 109.*

DE GRATIA,

*A quest. 109. ad 114.*



OPERA, ET STUDIO

R. P. FR. CAROLI RENATI BILLUART, REVINIENSIS, ORDINIS FF. PRÆDICATORUM,  
 Theologiæ Doctoris, necnon Provinciæ Gallo-Belgiæ ejusdem Ordinis iteratò Provincialis.

EDITIO SECUNDA MATRITENSIS

*cæteris antehâc longè correctior opera & studio D. PETRI DEL CAMPO ET LAGO, Philosophiæ, ac Sacræ  
 Theologiæ Audit. nunc Humaniorum litterarum Profess.*

SUPERIORUM PERMISSU.

EX TYPOGRAPHIA RAYMUNDI RUIZ. ANNO MDCCXCVIII.

Prostrant apud Viduam Bernardi Alverá, & Filios in via vulgò Carrera de San Gerónimo.

4933

Bv1749

T 7  
B S  
1798  
V-1

SUMMA S. THEOLOG. ACAD. ...  
CURSUS THEOLOG. ...  
DE DEO UNO, TRINO, ET ANGELIS ...  
DE OPERE SEX DIERUM ...  
DE PRAELECTIONE HONORATI TOURNELY ...  
DE SECUNDA PARTIS PRIMAE ...  
DE ULTIMO FINE ET ACIBUS ...  
DE PECCATIS, ET LEGIBUS ...  
DE GRATIA ...  
OPERA ET STUDIO ...  
EDITIO SECUNDA MATRITENSIS



PRAEFATIO.

Altum mare conscendimus, scopulis frequens, naufragiis celebre: Profundum Divinitatis abyssum, immensum ejus perfectionum pelagus, inscrutabile Trinitatis arcanum ingredimur: quis non expavescat? Quis non exclamet cum Apostolo & Ecclesia: „O altitudo divitiarum sapientiae & scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viae ejus!“ Ad quae verba alludens Aug. serm. 11. de verbis Apostol. cap. 12. „Disputare, inquit, vis mecum; imò mirare mecum, exclama mecum: O altitudo divitiarum! Ambo expavescamus, ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus. Nemo quærat a me occultorum rationem. Ille dicit inscrutabilia, & tu scrutari venisti? Ille dicit investigabiles, & tu investigare venisti? Si inscrutabilia scrutari venisti, crede, jam peristi. Tale est velle scrutari inscrutabilia, quale est velle invisibilia videre, & ineffabilia fari.“

Ne tamèn credas, Lector, Augustinum his verbis omnem tantorum mysteriorum speculationem prohibere, de quibus ipsemet tam altè disseruit; sed curiosiorem dumtaxat illorum investigationem, quæ intra Scripturarum & Traditionis metas non sistat, prohibet. Harum itaque disputationum profundum ingressum, conabimur secundum Scripturæ monitum, non altè, sed ad sobrietatem sapere: Duce nostro Angelico Doctore, vela pandemus, ipse pericula detegit, salubrosa complanabit, & profundiora adorare præcipiet, ne nimii Majestatis scrutatores opprimamur a gloria.

Frequens nobis erit in his materiis concertatio cum inclitæ Societatis Jesu Theologis; sed pro ea veneratione qua illos prosequor; proque servandis Christianæ Religionis legibus, ubiquè, in quantum in nobis erit, salva charitate & semotis verborum aculeis, dimicabimus; ita ut, si quid contrarium inter disputationum astus fortè nobis excidat, quod tamèn summoperè cavebo, pro non dicto habeatur. Neque enim puto illos offendi, quòd dicam „Molinistas,“ aut „Scholam Molinianam,“ sic usus invaluit; nec plus injuriæ in his vocabulis haberi volo, quam cum nostrates voco „Thomistas,“ aut RR. PP. Minoritas, „Scotistas.

Non etiam ipsos tangunt querelæ nostræ adversus D. Honoratum Tournely Doctorem Sorbonicum, virum aliunde pluribus titulis commendabilem: non enim querimur quòd iste novissimus Scriptor scholarum Societatis placita amplexatus fuerit, id cuique liberum est; sed quòd, se quasi medium inter utramque Scholam simulans, provinciam quam sibi assumit, expendendi æqua lance utriusque partis momenta, infidelissimè & in gravissimam Scholæ nostræ injuriam persecutus fuerit, passim principia nostra solidiora aut tacens, aut dissimulans, aut contemptui & ludibrio habens; opposita verò, qua parte placent, propalans & laudans; qua parte vitio laborant, occultans, aut pigmentis obliniens, ut patebit ex dicendis. Qua arte plus Scholæ nostræ nocuit, quam tot insignium virorum ex Societate lucubrationes, quamvis doctissimæ: dum enim creditur, ut ipse asserit, nulli Scholæ additus, sed semoto partium studio utriusque momenta sincerè expositurus, illi tanquam integro judici tutò fidem adhibent incauti, & secundum ejus dicta, quasi veridica, sensus suos & affectus componunt. Hunc ergo Theologum pro tenuitate mea pressis vestigiis insequor, non homini invidens, aut succensens, sed ejus dicta, aberrationes, dissimulationes, & tergiversationes jure defensionis, & sine dispendio charitatis, culpans & arguens: quod æquus Lector mihi vitio non vertet, cum nulli unquam, etiam mortalium vilissimo, denegatum fuerit, aut denegetur jus defensionis.

FACULTAS REVERENDISSIMI P. GENERALIS.

**N**OS Frater THOMAS RIPOLL, S. Theologiae Professor, ac totius Ordinis Fratrum Praedicatorum humilis Magister Generalis, & servus; Tenore praesentium, nostrique autoritate Officii, potestatem facimus Reverendo admodum Patri Fratri CAROLO RENATO BILLUART, S. Theologiae Magistro, ac Provinciae nostrae S. Rosae Priori Provinciali, Typis mandandi Cursus Theologiae, modò prius censorio iudicio fuerit approbatus a duobus S. Theologiae Professoribus Ordinis nostri, servatisque ceteris de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen: In quorum fidem his Officii nostri sigillo munitis subscripsimus Romae in Conventu nostro S. Mariae supra Minervam, die vigesima quinta Octobris 1743.

Locus (\*) Sigilli.

FRATER THOMAS RIPOLL, Magister Ordinis. Registr. Pag. 240.

FRATER ANTONIUS BREMOND, S. Thom. Magister, Provincialis Daciae, Theologus Collegii Casanatensis, & Pro-socius.

APPROBATIO THEOLOGORUM ORDINIS.

**N**OS infrascripti Ordinis FF. Praedicatorum legimus Tractatus Theologicos in primam Partem Summae S. Thomae Aquinatis, Opera & studio Reverendi adm. ac eximii Patris CAROLI RENATI BILLUART Ordinis FF. Praedicatorum, Sacrae Theologiae Doctoris, nec non iteratò Provincialis: In quibus verè eximius Auctor nihil Catholicae Fidei contrarium docet, quin illam ab Haereticorum calumniis egregiè vindicet; in quibus etiam veridicam S. Thomae Doctrinam dilucidè tradit, atque eam adversus Scholae Thomisticae Aemulos praevalede tuetur: Una manu aedificat, altera pugnat. Hos itaque Tractatus luce dignissimos esse, & omnibus veris Doctoris Angelici Discipulis perutilis fore censemus. Datum Revinii 15. Augusti 1747.

F. DEODATUS LABYE, S. Theol. Baccalaureus ac Prof. necnon in Collegio S. Thomae Aquin. Duaci Stud. Magister.

F. ANTONIUS FONTINELLE, S. Theol. Prof.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARI.

**L**Egi Tractatus Theologicos de Deo Uno, Trino, & Angelis, in Primam Partem S. Thomae a R. Patre BILLUART, S. Theologiae Doct. Ordinis FF. Praedicatorum, concinnè elaboratos, in quibus nihil Fidei & moribus contrarium reperi, quin potius omnes materias eruditus Auctor singulari methodò distribuit, Doctrinamque in Speculativis sicut in Moralibus sanam tradit, ac menti & litterae S. Thomae consonam forti argumento asserit. Hoc ergo Opus praelo dignum censeo, & omnibus Theologis, praecipuè Professoribus, perutile ac gratum fore existimo. Datum Leodii 6. Decembris 1746.

A. MEDARD S. T. L. Canonicus Leodiensis, Seminarii Praeses & Professor, ac ad examen Librorum specialiter deputatus, &c. &c.

VITA AUCTORIS

A. F. DEODATO LABYE, CONVENTUS REVINIENSIS ORD. FF. PRAEDICAT. Religioso, S. Theol. Baccalaureo, Collegii S. Thomae Duaci antebac Regente, ac Provinciae S. Rosae in Belgio Provincialis Socio scripta.

**V**IRI, nemini suo aeo secundi, vitam describere suscipio, non verborum floribus eloquentiae fucata; ementis enim encomiis non indiget Vir potens opere & sermone, & quem tot praecleara merita universo orbi celebrem fecerunt; sed stylo simpliciori ea, quae vidi, audivi, & quae manibus contrectavi, sincerè referendo. Ego enim, qui haec scribo, a triginta annis socius fui itinerum & laborum ejus, secretioris cordis sui motus mihi non celavit, omniumque elucubrationum ac manuscriptorum suorum pridè mortis me depositarium constituit. Hoc depositum tanquam novissimum ejus amicitiae argumentum, & in Eruditorum obsequium fidelitèr assero, neminemque latere volo. Quamvis profundam ejus eruditionem sat altè proclamant tot volumina edita; quia tamen in omnibus humilitas ipsi praebat, dextera plura operata est, quae ignoravit sinistra. Haec ergo ut manifestarem, mihi mandavit Reverendissimus P. Joannes Thomas de Boxadors, Magister Generalis noster; quod & prestare intendo ad gloriam auctoris ac largitoris omnium bonorum, in perpetuum mei Consanguinei ac intimi Amici memoriam, & ad exemplum ac solatium Lectoris.

Patria, Ortus, Parentes, & juvenus ejus.

Patriam habuit Revinium civitatem ad Ripam Mosae, Campaniae finitimam, Diocesis Leodiensis, Ditioni supremæ Domini Abbatis Prumiensis, nunc Electoris Trevirensis, & Domini Comitit de Brias, subditam, Galliae Regnicolam, Christianissimique Regis protectione ac defensione stipatam. Natus est die 18. Januarii anno 1685. ex honestis ac piis Parentibus Domino Joanne Francisco Billuart, & Dom. Elisabetha Jadot, Sorore in 3. Ordine S. Dominici, Conjugibus ac Conventus nostri Benefactoribus, & eodem die baptizatus, suscipientibus de sacro Fonte Domino Carolo de Rouville & Dom. Maria de Monnin, nomine Domini Renati d' Epinoy, Toparchae de Loni, & Dom. Ludovicae Bouttez, Conjugum. Egregia corporis structura & facies decora grandia ominabantur; nec spem fecellit eventus. Vix evacuatit infantilibus, pii Parentes amantissimi Filii sui educationi & instructioni providere volentes, ipsum miserunt Carolopolim, ut in Collegio Jesuitarum humaniorum litterarum studium decurreret. Puer autem crescebat & proficiebat aetate & sapientia. Solitudinis amator, puerillum ludorum contemptor, studiis unice intentus, suos condiscipulos longè superavit, seque eis potius mirandum, quam imitandum exhibuit. Vix attigerat 16. aetatis annum, cum jam meditaretur mundo renuntiare, seque Religioni mancipare, ut Deo & studiis liberius litaret; mentem ejus explorat Professor Jesuita, & post plurima tentamina tandem cordis secreto detecto nihil non molitur, ut discipulum ad ingressum Societatis inducat; nec frustra: annuit enim optimus juvenis: sed obstant Parentes vocationem Filii sui probare intendentes, qui tandem instantiis victi consenserunt.

Fuit proselyta Jesuitarum. Haec ex ore ejus audivi.

Aggreditur ergo iter Proselyta Jesuitarum sub auspiciis sui Professoris, & comitibus Patre & Fratre tendit Mussipontum, Societatis toga induendus. Sed, Providentia sic disponente, dum transit Sedano, Rectoremque Sedanici Collegii, ut par erat, invisit, ab eo (quod candidatis rarum est) minus urbanitèr ex-

cipitur, imò ipsi, ipsiusque sociis tectum & mensa negantur. Haec res Adolescentis stomachum movit. Nocte tota vigilans recogitat secum hinc blanditias sui Professoris, illinc acerbam Rectoris repulsum: utraque non sibi quadrantia judicans mentem mutat, repetendae Patriae desiderium Patri & Fratri applaudentibus patefacit. Verum quomodo ab oculis Paedagogi suis esse eripiet? Vexatio dat intellectum. Summo manè, dum Argus nihil tale suspicatur, Fratri adjunctus aufugit, relicto Patre, qui mutatum filii propositum nunciet. Stupet ad hoc clasium Regens, sed non despondent animum. Fugitivi juvenis vestigius insistit, brevi in pago vicino Patris adventum expectantem attingit. Quid porrò non agit, ut offensum adolescentis animum placet? Blanditur iterum, urget, Satanæ totum istud negotium esse praedicat, tentationis victoriam spondet, si velit tantummodo unum recitare Rosarium. Sed surdo canebar; vicerat enim Dominicus (P. Matthaeus Doct. Hybernus inter plures versus hunc protulit.), qui tunc Ignatio dixit, jam puer iste meus. Et sanè redux in domum Pater nam, gratia per se efficacia, quam postea tam nervosè propugnavit, vim expertus, motu proprio ad pedes Patris Prioris Conventus Reviniensis provolutus enixè postulat cooptari inter filios S. Dominici.

Ingreditur & proficitur Ordinem Praedicatorum. Sacerdos consecratur.

Anno 1701. ingreditur Ordinem FF. Praedicatorum, mittiturque Insulas, ut Tyrocynia Religionis ponat, & persoluto anno probationis professionem emittit in dicto Conventu nostro Reviniensi die 7. Novembris anno 1702.

Quo pede inceperat, eodem semper incessit. E-menso Revinii Philosophiae & Theologiae curriculo, praevia dispensatione Papae super defectum aetatis, Sacerdos consecratur ab Episcopo Namurcensi 1. Januarii ann. 1708.

Eodem anno Leodium proficiscitur ad propugnandam Theologiam sub Patre Poëlman, Professore Conventus Gandensis. Quibus peractis, Lector Philosophiae instituitur in Collegio nostro Duaceno anno 1710. anno 1711. ad instantiam Patrum sui Conventus à Magistro Generali Cloche instituitur Lector cursus Philosophiae Revinii inchoandi anno sequenti, cum dispensatione supra secundum cursum Duacenum. Deinde ibidem legit Theologiam usquè ad ann. 1715. quo Magister Studentium in Collegio nostro S. Thomae Duaci renuntiat.

Typis edit Opusculum contra D. Le-Grand.

Tunc temporis Typis edidit Opusculum continens 160. paginas in 12. cui titulus. De mente Ecclesiae Catholicae circa accidentia Eucharistiae, adversus Dom. Antonium Le-Grand, S. Tb. Licentiatum, & Philosophiae Cartesianae Professorem in Academia Duacensi. Leodii Typis U. Ancion. Opus universo applausu exceptum, & cui non voluit respondere Adversarius.

Creatur Baccalaureus & Regens. Concionatur Leodii Trajecti Haereticos vincit.

Anno 1717. creatur Baccalaureus, & anno 1718. recipit Litteras patentes Officii Regentis Secundarii in Collegio nostro Duaceno, sequenti anno inchoandi. Annis 1718. & 1719. Leodienses Conciones ejus per

per Adventum & Quadragesimam attoniti audiunt & mirantur. Fama ejus longè latèque vulgata, a prænobili & pientissimo Comite de Tylli, Equitatis Provinciarum confederatarum Generalissimo, ad Civitatis Trajectensis Gubernatore, rogatur, ut ibidem concionem haberet in Festo Ven. Sacramenti, & præsentiam realem Christi in Eucharistia contra Calvinistas forti argumento vindicaret. Omnes & Catholici & Hæretici aderant. Illi Oratoris eloquentia rapti novo igne amoris erga Augustissimum Sacramentum inflammabantur, dum alii dentibus frendentes præ invidia disrumpebantur; & vi rationum ejus succumbentes dicebant, ipsum esse bonum malæ causæ Patronum. Sed nondum sat. A Prætorè & præcipuis hæreticæ sectæ stipitibus in Aulam Civicam advocatur, ac concertatio supra dictam materiam proponitur & acceptatur. A primario Satanæ Ministro textus Augustini truncatus subdole profertur, eoque sensum figuralem asserere contendit. Ast dolum statim subodoratur Doctor noster, fraudemque detegit recurriendo ad fontem, & ostendendo Calvinistam Sacramento attribuire, quod Augustinus de Sacrificio affirmat. Tunc Ministri obmutescunt, sicut Pharisæi tentantes Dominum, abierunt pudore suffusi; & Primores nostrum Oratorem honoribus ac gratiarum actionibus cumulatum dimiserunt. Hinc nostrorum applausus, illinc inimicorum cordis cruciatus. Hoc anno tendit Parisios, & ab Eruditis honoratur.

*Typis mandat Opusculum, Thomisme vengè.*

Anno 1720. Typis mandat Opusculum gallicè scriptum continens 97. pag. in 12. cui titulus *Le Thomisme vengè de sa pretendue condamnation par la constitution UNIGENITUS, adressè en forme de Lettre à un Abbè, par un Religieux de l'Ordre de S. Dominique. A Bruxelles de l'Imprimerie de Jean Leonard.* Hoc opus a nemine fuit impugnatum, sed ab omnibus laudatum ac rapida distributione sublaturum; nec immeritò, nemo enim hucusque systemata, Thomisticum, Jansenianum, & Jesuiticum in clariori luce exposuit.

*Eligitur Prior.*

Anno 1721. eligitur Prior sui Conventus, & in hoc officio continuat usque ad ann. 1725. quo Licenciatus factus est, & ad officium Regentis Primarii in Collegio nostro Duaceno assumptus. Quante fuerit prudentiæ & dexteritatis in agendo & regendo, vix dici potest. Optimus pater, benefactor munificus, forma sui gregis, patiens ad omnes; intus & extus dilectus; zelo cultus Dei maximè ardens, Templum præcipuis ornamentis decoravit, organa, cratem ferream, pavementum Ecclesiæ, Altaria, Sedes Confectionales, Cathedram concionatoriam, Campanas, pavementum Chori marmoreum, plures tabellas, alta candelabra, tabernaculum, crucem, &c. argentea, magnifica lintamina sacrario procuravit. Sed hæc minora sunt.

*Edit Opusculum. Lettre aux Docteur de Douai, & Opusculum Examen critique &c.*

Non obstantibus sollicitudinibus ab Officio Prioratus inseparabilibus, & suis continuis infirmitatibus, diu noctuque a studiis non cessavit. Anno 1723. elucubravimus opus gallicè scriptum in 4. continens, 42. paginas cui titulus: *Lettre du R. P. Charles René Billuart, &c. A Messieurs les Docteurs de la Faculté de Theologie de l'Université de Douai, avec des Reflexions sur les Notes calomnieuses qu'ils ont attaché à leur censure du 22 de Aout 1722. contre les RR. PP. Massouillé & Contenson de l'Ordre des FF. Præbeurs.* Huic Epistolæ responsum non dederunt præfati Doctores: nec mirum, nullum dari poterat; turpiter enim erraverunt, & eorum censura merito damnata fuit Romæ per Decretum Apostolicum, datum 18. Julii

1729. Et dictæ Facultati, motiva condemnationis per suum Procuratorem querenti, correctionemque spondenti, responsum est: *Deleantur parallelum contentum in monito ad Lectorem ac in Præfatione, & Scripta contra PP. Massouillé & Contenson & contra S. Thomam, hisque correctis, censura Romam remittatur ut approbetur.* Id constat ex Ep. apud me extante R. Patris Goolzat, qui ex ore Secretarii Indicis acceperat. Hæc Epistola refertur in fine Apologiæ Thomismi Triumphantis.

Anno 1724. Die 19. Novembris in lucem prodit Breve Demissas preces BENEDICTI Papæ XIII. ad universos Fratres Ordinis Prædicatorum Professores, adversus calumnias Doctrinæ SS. Aug. & Thomæ intentatas. Et hoc fuit seminarium discordiarum & querelarum Jesuitas inter & Thomistas. Quidam, tacito nomine, scripsit gallicè Reflexiones supra prædictum Breve, insinuans quod non ad Jesuitas, sed solum ad Quesnellistas, tanquam calumniatores nostræ Scholæ dirigatur, & quod tantum declaret Thomistas posse suas opiniones liberè docere sicut antè, nostramque Doctrinam nullam aliam inde prærogativam obtinuisse. His Reflexionibus Pater BILLUART opposuit Opusculum gallicè scriptum in 4. continens 21. paginas, cui titulus: *Examen critique des Reflexions sur le Bref de notre S. Pere le Pape BENOIT XIII. du 6. de Novembre 1724. adressè aux Dominicains;* quo probat, Papam calumnia reatum inurere non solum Quesnellistas, sed & Molinistas, hosque reputare inter calumniatores Doctrinæ Thomistarum; insuper quod hæc Doctrina a Summo Pontifice commendetur opinionibus Molinistarum, solum negativè toleratis; concluditque non amplius licere Jansenistas & Quesnellistas ex una parte deridere gratiam sufficientem Thomistarum, eorum systema indigestam farraginem (*galimatias*) vocando; ex altera parte Molinistas non posse absque rebellionem erga Summum Pontificem, ultra suis dictare nostram Doctrinam de Gratia ab intrinseco efficaci, seu de Prædeterminatione physica, non esse a S. Thom. traditam, nocere libertati, esse injuriosam justitiæ & sanctitati Dei, esse contrariam S. Scripturis & Concilio Trid. esse similem motioni Calvinii, sicut ovum ovo; quod tamen iisdem ferè verbis asseruit P. Fontaine, Professor Jesuita Duaci in Thesi anno 1725. post dictum Breve propugnata. Sed hic advertendum, quod Pater BILLUART uni e suis amicis (cujus nomini parco) suum Manuscriptum tradiderat, ut illud fidelitèr prælo subjiceret. Hic, inscio Auctore, plura submisit spectantia Congregationes de Auxiliis, & Ritus Sinenses. Nam, quæ in exemplaribus impressis ab ultima linea paginæ tertiæ usque ad 28. lineam paginæ 5. & quæ ab undecima linea pag. 12. usque ad 13. paginæ decimæ quartæ leguntur, non reperiuntur in Originali manuscripto apud me extante. Meritò ergo illud opus sic deformatum repudiavit, & ut supposititium reputavit, imò mandavit, ut Exemplaria supprimerentur, sed tardius; multa enim erant jam sparsa.

*Edit Opusculum le Thomisme Triomphant, & Respondet D. Stievenard.*

Hinc Anonymus contra Auctorem prædicti Examinis critici debacchatur, litterasque ad ipsum dirigit, probris, ac conviciis atrocibus refertas. His Litteris Pater BILLUART opposuit opus gallicè scriptum in 4. continens 114. paginas, cui titulus: *Le Thomisme Triomphant par le Bref, DEMISSAS PRECES, de BENOIT XIII. ou justification de l'Examen critique des Reflexions sur ce Bref, contre une Lettre anonyme adressée à l'Auteur de l'Examen par un Theologien de l'Ordre de St. Dominique.* Auctor, quamvis Examine critico adjecta tanquam supposita reputet, ea tamen ut vera probare contendit, suumque opus in

in duas partes dividit, ac variis argumentis duo momenta in Examine critico asserta corroborat & demonstrat, Apologiamque Historiæ Patris Serry contra calumnias ab Anonymo liberalitèr impactas suscipit. Occasione hujus operis novum sibi suscitavit Adversarium. Alter amicus textum primæ Epistolæ Domini de Fenelon ad Quesnellum adulteratum subministrat. Noster Auctor in fide sui amici ætate & eruditione venerandi textum ad pag. 8. (1) Tunc anno 1726. insurgit D. Stievenard Canonicus Cameracensis, opus excudit, in quo Patrem BILLUART tanquam fallacem & calumniatorem traducit, reparationemque injuriæ memoriæ Archiepiscopi irrogatæ apud Superiores nostros urget. Jam indiget Auctor noster armis a dextris & a sinistris, ut more ambidexterorum confederatos dissolvere & dissipare valeat; quod & præstitit respondendo Domino Stievenard per Opusculum in 4. continens 8. paginas, cui titulus: *Response de l'Auteur du Thomisme Triomphant à Monsieur Stievenard, Chanoine de Cambrai, au sujet de son Apologie pour feu Monseigneur de Fenelon, Archeveque de Cambrai,* in quo fatetur, se infideli commentario deceptum, quoad hoc verbum DE LA GRACE DES THOMISTES, idque revocat, sed sensum suæ propositionis remanere, ac Dominum de Fenelon Thomistas cum Jansenistis confudisse probat, eo quod hic Præsul contra Quesnellum, & alios eadem allegantes expressè non reclamaverit.

*Respondet 2. & 3. D. Stievenard.*

Sed necdum finis controversiarum. Eodem anno Dom. Stievenard secundam adornat Apologiam pro D. de Fenelon, qua redarguit Patrem BILLUART, eo quod sua motiva a Jansenistis Domino de Fenelon infensus mutuet, & præfatum Patrem mordaci stilo insequitur. Huic Apologiæ replicat Pater BILLUART per opusculum in 4. continens 21. paginas, cui titulus: *Avis d'un Ecclesiastique de Paris à Monsieur Stievenard, Chanoine de Cambrai, sur la seconde Apologie, pour feu Monsieur de Fenelon, Archeveque de Cambrai;* additque supplementum. In hoc monito multis aliis momentis & quinque demonstrationibus confirmat Auctor id, quod in præcedenti opere allegaverat. His non acquiescens Dominus Stievenard tertiam elucubrat Apologiam; cui Pater BILLUART opponit aliud opusculum in 4. continens 21. paginas, cui titulus est, *Justification de l'Avis d'un Ecclesiastique de Paris, &c.* In quo, prætermisissis repetitionibus, puerilitatibus, invectivis ab Apologista prolatis, ac præcipuo puncto insistens, Adversarium mirè stringit, illiusque contradictiones & calumnias in clara luce exponit.

*Eligitur Provincialis. Edit Opusculum, Apologie du Thomisme triomphant.*

Anno 1728. die 15. Octobris, cum inchoaret tertium annum officii Regentis primarii in Collegio nostro Duaceno, assumptus est in Priorem Provinciale Provinciam nostræ S. Rosæ in Belgio. Felix Provincia sub tali Duce! Exemplis lucet, verbis instruit, charitate incendit, comitate demulcet, studia promovet, ordinationes pro observantia regulari & administratione temporalium sapientèr condit, jugum Christi suave efficit & onus ejus leve, non tamen emollit; omnibusque omnia factus, omnium, non solum subditorum, sed & exterorum, præcipuè Episcoporum & Magnatum, animos sibi devincit. Anno subsequenti laurea doctorali insignitur. Interea inimi-

cus homo non dormiebat, sed Scholis nostris, sub auspiciis BENEDICTI Papæ XIII. triumphantibus, invidus novas struxerat insidias spargendo novem litteras anonyms, diceriis & probris plenas adversus defensorem Thomismi triumphantis. Pater BILLUART, qui suis Officiis aliò distractus certamen præstenderat, Anonymo iterum occurrit, & una manu Regiminis habenas tenens, altera opponit opus in 4. continens 196. paginas, cui titulus: *Apologie du Thomisme Triomphant, contre les neuf Lettres Anonymes, qui ont paru depuis peu. On justifie aussi par occasion l'Histoire des Congregations de Auxillis du P. Serry contre les chicanes de ses Adversaires.* A Liege, chez J. P. Gramme 1731. Non mirum, quod istud opus manserit inconsumum, quia veritate demonstrata nixum.

*Iteratò concionatur Leodii; Typis mandat Opusculum de Cultu B. V.*

Anno 1732. Conciones per Quadragesimam iteratò habet Leodii coram innumerabili concursu populo. Anno 1733. mense Novembri eligitur Prior sui Conventus Reviniensis, & continuatur usque ad an. 1741. Anno 1734. Opusculum in 4. dedit continens 63. paginas, cui titulus: *Response à l'Auteur d'un Libelle imprimé cette année 1734. à Rotterdam, intitulé: La Creance des Eglises Reformées touchant la S. Vierge, ou l'on fait voir les impostures grossieres & les calomnies atroces, les paralogismes & les inepties dont cet Ouvrage est rempli. Avec permission des Superieurs.* Ad hoc opusculum obmutuit hæreticus.

*Tendit Parisios.*

Anno 1736. Serenissimus Princeps Ludovicus Dux Aurelianiensis, vir qualem nec tulit, nec longa feret ætas, Dominium Civitatis Reviniensis obtinebat. Cum ad aures ejus fama Patris BILLUART pervenisset, desideravit pius Princeps faciem illius videre; quo auditò, dictus Pater profectus est Parisios, me comite, qui mense præcedente præferam Thesibus isti Principis dicatis: Statim ac advenit a sapiente ac affabili Principe sub auspiciis Comitit d'Argenson humanissimè excipitur, ore ad os eum alloquitur, & de multis familiariter colloquio eruditè disserunt. Quantis honoris & benevolentia signis ac beneficiis cumulatus recesserit, ego, qui vidi & audivi, testari possum. Annis 1737. & 1738. ope dicti Principis adiutus inchoavit & ad culmen erexit præclarum & amplum ædificium infirmorum, Bibliothecæ, & Hospitium, Conventumque suum amplificavit, ornavit, & illustravit.

*Apologiam P. Soto edit.*

Tunc Temporis prodit pseudohistoria Bajanismi, a Patre Duchesne Jesuita edita. Hanc impugnavit Pater BILLUART opusculo in 12. continente 242. paginas, cui titulus: *Apologie du R. P. Pierre Soto Dominicain & des anciennes Censures de Louvain & de Douai, contre l'Histoire du Bajanisme, composée par le Pere Duchesne Jesuite, & condamnée à Rome le 17. de Mars 1734. par Louis de Lomanise, A Avignon, chez Marc Charve ex 1738.*

*Iteratò eligitur Provincialis.*

Anno 1741. iteratò ad Provincialatum provehitur: eundem constantèr servat regendi modum: hortatur, arguit, obsecrat, increpat in omni patientia & doctrina. Sed Provincialatús munia tantum ingenii capacitatem non expleat; ideo antiquum intentum resumit. In Comitibus Provincialibus anno 1733. celebratis

(1) Ovi il faut que ce soit uniquement ce systeme DE LA GRACE DES THOMISTES, que l'Eglise a voulu condamner dans Jansenius, ou bien cette Eglise n'a voulu condamner rien de science; si c'est est pas la précisément ce qu'elle y condamne, elle agit comme un homme en délire, ou bien elle se joue & de la foi & de sa propre autorité & de la croyance des Enfants: cette Eglise imagine un sens chimerique & ridicule pour servir de phantome su le quel tombent tous ses Anathemes.

tis Duaci sub ipsomet Patre BILLUART, Vicario Generali, ad instantiam RR. PP. Moderatorum Collegii nostri S. Thomae Duaci commissum fuerat R. Patri Provinciali electo, ut provideret de medijs disponendi per eruditum Theologum Ordinis nostri, Typisque edendi, ad communem usum Provinciae nostrae, Cursum Theologicum juxta mentem, & in quantum liceret, juxta litteram nostri Doctoris Angelici D. Thomae Aquinatis, insertis, pro re nata, Quæstionibus Historiam Ecclesiasticam spectantibus. Hoc consilium placuit Reverendissimo P. Magistro Generali, hujusque Operis executionem commisit Patri Magistro BILLUART; & jure merito, quippe Viro consummata eruditionis ac summæ Religionis, qui orationem studio præmittere solebat, & sæpius, dum alii confabularentur, coram Altari prostratus divina contemplantur. Sed varijs distractus munijs, tantum in limine consilio manum adhibere aliquantulum distulit.

*Typis mandat Cursum Theologiae.*

Ab anno 1746. usque ad ann. 1751. meis curis sub prælo sudavit istud grande ac mirabile Opus, continens 19. tomos in 8. cui titulus: *Summa S. Thomae, hodiernis Academicarum moribus accommodata, sive Cursum Theologiae juxta mentem, & in quantum licuit, juxta ordinem & litteram D. Thom. in sua Summa, insertis pro re nata Digressionibus in Historiam Ecclesiasticam. Ad usum Scholarum Thomisticarum. Leodii apud Everardum Kints, S. R. E. Typographum cum Privilegio S. Caesaræ Majest. Octo tomos de Virtutibus Cardinalibus, de Deo & Angelis, in annis 1746. & 1747. excusos, Serenissimo Ludovico Duci Aurelianensi primo Regii Sanguinis Principi dedicavit: hos ego obtulit Tomos dicto Principi, qui, antequam prælo subijcerentur, manuscriptum legere voluerat. Quanta benignitate & affabilitate me exceperit; quantis encomiis opus celebraverit; quot benevolentia signa erga Auctorem exhibuerit, exprimere non valeo. Unum dicam, quod me honore & beneficijs cumulatum dimiserit, & in posterum cum Auctore nostro commercium habuerit litterarum gratissimarum, quas aservo. Anno 1748. prodire tres tomi in 1. 2. S. Thomae sub auspicijs Illustriss. ac Reverendiss. D. Guillelmi Delvaux, Irenicum Episcopi, qui Litteris & factis suum erga opus & Auctorem affectum sæpius comprobavit. Anno 1749. eligitur Prior sui Conventus, sed se excusat. Eodem anno & sequenti Typis edidit sex tomos in 3. Partem S. Thomae, quorum tres primi dedicati fuerunt Illustriss. ac Reverendiss. D. Maximiliano Vandennote, Gandensium Episcopo, & alii tres Reverendiss. D. Vigori de Brions, antiquissimi & celeberrimi monasterii S. Vedasti Atribati Abbati meritissimo. Illud Opus multum placuisse istis Præsulibus, sed præcipue Abbati & suo sodalio, solus ignorare potest, qui per antiquam Scholarum confederationem inter Vadestinos & Dominicanos ignorat. Anno 1751. tandem prodeunt duo ultimi tomi de Virtutibus Theologicis, Illustriss. ac Reverendiss. D. Dominico de Gentis Antuerpiensium Episcopo nuncupati, qui & hos & integrum opus singularibus præconijs celebravit, ac suis Clericis commendavit. Nemo non miratur hujus Operis profundam eruditionem, Styli venustatem ac breviter, doctrinæ tam in Moralibus, quam in Speculativis, puritatem & soliditatem: à nullo non laudatur & suscipitur tamquam fidele S. Thomae Commentarium; & ut verum dicam, nullus nostrorum aevi Scholæ Thomisticae tot præstitit obsequia.*

*Tertio eligitur Provincialis: Compendium suæ Theologiae adornat.*

Anno 1752. unanimi Electorum suffragio Provincialis tertio proclamatur. Opus certe grave Viro anoso, & præ infirmitatibus ac assiduo labore viribus

hausto; illud tamén generosè usquè ad finem sustinuit, & laudabiliter adimplevit.

Anno 1754. Typis mandat Compendium sui majoris Operis in 6. tomos distributum & nuncupatum Reverendiss. P. Magistro Generali Antonino Bremond, suo Amico intimo. Hic illum sæpè Romam advocaverat, imò Doctorem Cassanatensem nominaverat; sed Fratrum & Conventus sui amor sæpè prævaluit. In hoc Opere monitum dat Patri Concina, a quo imprudenter accusatus fuerat de laxitate super Quæstione de Bonis superfluis Clericorum, & de Simonia. Pari vigore iteratas vindicias suæ Quæstionis, *De Relatione Operum in Deum* dirigit ad Patrem Maugis, Doctorem Lovaniensem, primas in fine primi tomi Compendii, alios anno elapso sub nomine *Ludovici Franc.* Tandem duobus extremis vite annis, cum vix respiraret præ continujs doloribus & debilitate pectoris, ad solatium & tedij vitandis causa scripsit hos Tractatus de Opere 6. dierum, de Statu Religioso, & de Mysterijs Christi, in Supplementum sui majoris Operis. Sed dolendum, quod morte præoccupatus Tractatum de *Novissimis Hominis* imperfectum reliquerit, ac solam primam Dissertationem adumbraverit. Mense autè mortem, cum non valeret legere Sacram, quotidie celebrare faciebat, & sæpè SS. Eucharistiam accipiebat; sed jam sentiens imminere dissolutionem sui corporis, judicium tamén sanum servans usque ad extremam vite periodum, Sacramenta extrema sibi dari, ac Indulgentiam Rosarii impertiri peti.

*Moritur. Ejus Epitaphium.*

Die 20. Januarii anno 1757. cum apud ipsum pernoctassem, de Deo colloquentes, medio octavæ matutinæ, ætatis annum 73. inchoans, vitam, meritorum, plenioram quam dierum, placida morte mutavit; & sepultus est sequenti die sub marmore albo in medio Sanctuarii, super quod sequens Epitaphium in perpetuum gratitudinis ac antiquæ Viri amicitia argumentum mœrens apposui.

HIC JACET R. AC EXIMIUS PATER CAROLUS Renatus Billuart.

*Revinensis hujus Conventus Alumnus, ac quintus Prior, Collegii S. Thomae Duaci Regens, S. Theologiae Doctor, necnon Provinciae Gallo-Belgicae ter Provincialis. Vir scriptis & virtutibus clarus, Religioni & Orbi commendatissimus. Sed eheu! obit 20. Januarii 1757. Ætatis 73. Professionis 55. Sacerdotii 49. Precare, morituro, ut requiescat in pace.*

Videte, quoniam non sibi soli laboravit, sed omnibus exquirentibus veritatem; & quod non minus verè de eo dicitur, ac de filio Oniæ, (*Eccli. 50.*) Sacerdos, qui adeptus est gloriam in conversatione Gentis, & ingressus domus & atrii amplificabit. Hic vir omni laude major ac immortalitate dignus jugum Domini ab adolescentia sua portavit, omnesque adunavit doctes, Virum, Religiosum, Prælatum & Doctorem perficientes. Judicii ac consilii soliditatem cum immatura ætate, orationem & studium in solitudine, prudentiam & zelum in Regimine, altam scientiam & profundam humilitatem in Cathedris miro fœdere sociavit. Gratus ac beneficus, qui publicè obligavit omnes, privatim singulos; Concordia amator, salutis animarum Zelator, ac Verbi divini facundus Prædicator, bonus Pastor, virtutum exemplar, ac Doctorem Doctor; Patriæ & exteris charus; Conventui munificus; Religioni commendatissimus, ac in Scholis celeberrimus. Ergo Vir, Religiosus, Prælatum, & Doctor Posteris æmulandus: Hæc dum legis & obspicis, luge decus orbi ereptum, lauda virtutis prodegius, æternam ei precare requiem, qui ut Ecclesia, Religio, & Patria quiescerent, numquam quievit.

Parce, Lector tenuitati styli & brevitati dictionis. Elegantiorem & fusiorem calamus meruisset talis ac tantus Vir; sed elegantiæ minus, quàm veritatis studij.

DIS-

## DISSERTATIO

## PROCEMIALIS

## DE SACRA DOCTRINA, SEU THEOLOGIA.

*D. Thom. 1. Part. Quæst. 1.*

ARTICULUS PRIMUS.

*Quid, & quotuplex sit Theologia?*

**N**omen Theologiae desumptum est a duplici voce græca *Theos* & *Logos*, hoc est Latine, sermo seu consideratio de Deo. Unde quilibet sermo seu consideratio de Deo, sive solo lumine naturali, sive supernaturali nitatur, sive simplici assensu, sive discursu habeatur, secundum nominis etymologiam, potest dici Theologia. Secundum verò nominis significationem Theologia importat considerationem discursivam, quæ si principiis solo lumine naturali notis nitatur, dicitur Theologia naturalis, seu Metaphysica; si principiis lumine supernaturali fidei notis, dicitur Theologia supernaturalis, de qua hic agimus, & describi potest: *Doctrina rerum divinarum, ex principiis fidei immediate revelatis conclusionibus deductis.*

Dividitur autem ex parte subjecti, ex parte objecti, & ex parte modi. Ex parte subjecti dividitur in Theologiam beatorum & Theologiam viatorum. Prima innititur lumine supernaturali gloriae, & est duplex. Una, quæ ab Augustino vocatur *cognitio matutina*, est ipsa visio beatifica, quæ Beati clarè videtur in Verbo omnia divina mysteria: est intuitiva, & discursiva tantum eminentè seu virtualiter. Altera, quæ vocatur ab Augustino *cognitio vespertina*, est quæ Beati ex principiis lumine gloriae cognitis deducunt vi luminis naturalis conclusiones circa divina mysteria, easque cognoscunt vel per species à Deo infusas, vel proprio labore partas in via: est discursiva formaliter nec substantialiter differt à nostra.

Ex parte objecti dividitur in speculativam, & practicam seu moralem; quædam addunt polemnicam. Speculativa est, quæ sistit in sola consideratione rerum divinarum, ut Mysteriorum Trinitatis, Incarnationis, divinarum attributorum. Practica, seu moralis est, quæ tractat de rebus ad directionem morum pertinentibus, ut de actibus humanis, de peccatis & virtutibus, de legibus, de Sacramentis, &c. Polemica est, quæ agit de rebus controversis: concidit cum speculativa vel practica, secundum quod materia controversa est speculabilis, vel moralis.

Ex parte modi dividitur in positivam & scholasticam. Positiva est, quæ versatur circa SS. Scripturas, Traditiones, Concilia, Canones, SS. Pontificum Decreta, SS. Patrum Opera, antiquitatis facta historica, & praxim; ea expendendo, penetrando, vera à falsis discernendo, sensum legitimum explicando, mysteria fidei & veritates revelatas ex eis eruendo, & ex veritatibus revelatis alias deducendo: & hæc omnia stylo fusiore, elegantiori, & quasi oratorio, atque regulis Dialecticis mimis accommodato. Dicitur positiva; tum quia principia fidei ponit & supponit tanquam theses & positiones, non probat; tum quia Scripturæ, Traditiones, Concilia, Canones, &c. ex quibus procedit, sunt Juris positivæ.

Scholastica eadem omnino præstat, sed diversa methodo, nempe, dicendi genere magis conciso, subtiliori, & accuratiori, juxta regulas Dialecticæ, terminos exponendo, statum questionis aperiendo, definiendo, dividendo, syllogizando, objecta solvendo; sicque pariter possit dici positiva, cum & principia fidei supponat, non probat, & ex Scripturis, Traditionibus, Concilijs, &c. pariter procedat: sed dicta est scholastica, eo quod ejus methodus usurpetur in Scholis & Academijs.

Non differunt ergo inter se positiva & scholastica essentialiter & penes obiectum, idem enim habent, sed accidentaliter tantum penes diversam methodum; siquæ hallucinantur, qui respondent Theologiam positivam in notitia veritatum revelationum contentarum in Scriptura, Traditionibus, &c. scholasticam in deductione discursiva conclusionum ex veritatibus revelatis; sic enim positiva non distingueretur a Fide, nec esset Theologia, ut patet ex definitione Theologiae. Verè ergo discurret positiva, & ex revelatis alias veritates inferat & deducit, sed non ita accurate sicut scholastica, & in eo tantum differunt. Hæc autem accuratior methodus primùm usurpata cepit 8. seculo à S. Joann. Damasc. incrementum habuit 12. seculo à Petro Lombardo Episcopo *Theol. Billuart. Pars Prima.*

Parisienti, qui ideò dicitur Magister Sententiarum, & tandem complementum 13. seculo à S. Thoma.

Hic communiter additur mystica seu affectiva, quæ non tam rationis discursus, quam simplici menti intuitu, in oratione potissimum, res divinas sapit & contemplantur.

De varijs ergo Theologiae dotibus in hac Dissertatione prævia agendum suscipimus; breviter quidem, ne diutius in limine hæreamus, cum graviora nos expectant.

ARTICULUS II.

*Utrum præter Philosophicas, seu naturales disciplinas Theologiae sit necessaria?*

**S**anctus Thomas questionem proponit sub nomine *sacrae doctrine*, seu doctrinæ, quæ per revelationem habetur. Hinc controversia est inter ejus Interpretes, quid per sacram doctrinam intelligat, an Fidem, an Theologiam; an doctrinam sacram in communi, proit abstractè a Fide & Theologia.

Hoc ultimam amplectitur Cajetanus, & post ipsum Serra, & alii: quia S. Doctor de necessitate Fidei agit alibi; nempe 2. 2. Et doctrinam, de qua hic agit, probat esse necessariam ad salutem; quod de Theologia intelligi non potest, cum cognitio rerum divinarum per fidem sufficit ad salutem. Nec obstat, quod in sequentibus articulis S. Doctor agat de Theologia; quia ordo doctrinæ postulat ut a communibus incipiat, deinde descendatur ad particularia. Hæc sententia est probabilis.

Joannes a S. Thoma, Sylvius, & plures alii e contra contendunt, S. Thomam per sacram doctrinam in hoc primo articulo intelligere Theologiam propriè sumptam; quia tam in prooemio hujus questionis, quã in sequentibus articulis de ea ipsa doctrina, quã in hoc primo articulo docet esse necessariam, querit an sit scientia, an sit sapientia, an sit argumentativa, &c. quod non potest intelligi de fide, neque de doctrina in abstracto, proit est communis fidei & Theologiae. Neque obstat, quod S. Doctor art. 9. & 10. querat, an eadem doctrina sacra debeat uti metaphoris, an sub una littera habeat plures sensus, quod non videtur posse intelligi de Theologia; sed de Scriptura sacra: etenim Scriptura sacra est bona pars Theologiae, siquæ ritè queri potest, an Theologia proit continet Scripturam sacram, utatur metaphoris, & sub una littera habeat plures sensus. Ad rationem oppositam Cajetani respondebitur modo. Juxta hanc ergo interpretationem

Dico 1. de lege Dei ordinaria, præter Philosophicas disciplinas, necessariam fuit ad salutem esse in Ecclesia doctrinam quandam secundum revelationem divinam, hoc est, Theologiam spectantem quoad substantiam, proit abstractè a positiva & scholastica. Non tamen est necesse, quod quilibet homo sit Theologus: q. 1. art. 1. c.

Prob. 1. pars. 1. Homo ordinatur à Deo sicut ad quemdam fidem, qui comprehensionem rationis excedit, secundum illud Isai. 64. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ preparasti expectantibus te*: atqui finem oportet esse præcognitum hominibus, quippe qui, cum cognitione ducantur secus ac cætera animalia, suas intentiones & actiones debent ordinare in finem; Ergo præter naturales disciplinas necessariam fuit ad salutem, esse doctrinam secundum revelationem divinam, seu Theologiam. 16.

Dices, finem hunc supernaturalem cognosci per fidem: ergo superflua Theologia.

R. & simul confirmatur conclusio: Equidem finis supernaturalis cognoscitur per fidem dum habetur; sed secundum commune divine providentiæ cursum, fides haberi, propagari, conservari, & defendi non potest absque Theologia, per quam, inquit S. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 1. *Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Etenim fides, quæ juxta Apost. ad Rom. 10. est ex auditu, & auditus per verbum Dei, gignitur, nutritur, defenditur, non per simplicem mysteriorum narrationem, sed per discursus, congruentias, exempla, & varia alia momenta, quibus Scripturarum obscuritas elucidatur, Traditio probatur,

A  
mvs-